





Disputatio

1804

DE INTERDI-
CTIS, SEU ACTIONIBUS
Possessionum nomine competentibus;

Quam, divinâ aspirante gratiâ,

P R A E S I D E

Clarissimo atque Consultissimo Viro,
DN. VALENTINO GVILIELMO FORSTERI
ICI filio, I. U. Doctore, & Iuridicæ Facultatis
adjuncto.

In inelyta VVitebergensium Academiâ exercitij gratia,
horâ locoque solitis defendendam suscipiet ad
diem 1. Februar.

F E R D I N A N D U S Starck Dresd. Misn.



VV I T E B E R G A E

Excudebat Laurentius Seuberlich,

Anno M. D. CIV.

MAGNIFICIS
NOBILISSIMIS, STRENUIS,
perantiqui Generis splendore, summa dignitate atq;
autoritate, veræ virtutis insignisq; eruditionis laude,
ac variarum rerum usu præstan-
tissimis Viris,

DN. HEINRICO ABRAHAMO AB
Emsiedel in Scharffenstein/etc.

ET
DN. CASPARI A Schönberg in Polfnitz etc.
Celsissimi Illustrissimique Principis ac Domini, Domini
CHRISTIANI II. Ducis Saxon. S. R. I. Archimarschalli
& Electoris &c. Domini nostri Clementissimi,
Consiliariis secretioribus,

Domini, Patronis & Mecœnatibus suis omni observantiæ
cultu submissè & devotè colendis:

Hasce de interdictis positiones,
In legalis studij symbolum, singularis ipsorum munificentia
testimonium, perpetuæ gratitudinis monumentum;

O. D. C.

FERDINANDUS Starck, R.

HActenus fuerunt Petitoria in rem actiones, sequuntur Possessoria, quæ, quod inter duos & interim dicantur, interdicta sic nominantur.

T H E S I S I.

Interdicta sunt Prætoria in rem actiones, possessionis causam continentis : quæ proinde non habent in personalibus præstationibus locum.

II.

Sunt autem interdicta de possessione vel adipiscendâ, vel retinendâ, vel recuperandâ. Nam quartam speciem conservandæ possessionis non agnoscimus, licet ea multis, etiam Corasio probetur. Illud tamen facilius admittimus, quod Interdicta quædam sint duplicia, tam adipiscendæ quàm recuperandæ possessionis, uti Dn. Præses contra Cuiac. & Ant. Fabrum disputavit.

III.

Adipiscendæ possessionis Interdicta vulgò sex numerantur. E quibus Primum est, **QVORUM BONORUM**, universale, competens directò quidem bonorum possessori, cui cum effectu, id est, iusta ex causa bonorum possessio data est; utiliter etiam cuilibet heredi; adversus quemvis, qui pro herede, vel pro possessore possidet, vel si dolo fecerit, quò minus possideat. Petitur autem res hereditaria ab alio possessa restitui.

Q. An etiam incorporalis? Affirm. contra Cuiac. & alios.

IV.

Secundum Adipiscendæ possessionis Interdictum est **QVOD LEGATORUM**; idque datur cuivis heredi tam testamētario, quàm ab intestato; tam civili quàm Prætorio, id est, bonorum possessori, eorumque etiã heredibus; contra legatariũ, itẽ fideicommissariũ. Nam is multò magis rem de
manu

manu heredis accipit, Atq; hoc est, quod dudum ante Iustinianum rectè dixit Ulpian. Per omnia exæquata sunt legata fideicommissis; scilicet quoad interdictum, Quod legatorū; Quanquam alij aliter doceant. Petitur autem, ut, quod legatorum nomine propriâ quis autoritate occupaverit, restituat; in id nimirum, ut heres recuperatâ rerum legatarum possessione, quartam ex L. Falcidia retineat.

Q. Unde patet, Falcidiæ duntaxat retinendæ causa hoc Interdictum dari, non etiam si ea vel vindicari possit, vel omninò nequeat detrahi, ut rectius Donellus, Menochius & alij restituunt.

V.

Tertium Adipiscendæ possessionis Interdictum (Hic ab aliis Doctoribus divertimus, & Donelli vestigiis insistimus) est, NE VIS FIAT EI, QUI IN POSSESSIONEM MISSUS ERIT: quod competit misso in possessionem; adversus quemvis, qui dolo malo prohibet, quò minus quis in possessionem bonorum veniat. Petitur igitur, ut in possessione quis possit esse.

VI.

Quartum adipiscendæ possessionis Interdictum est, DE TABULIS EXHIBENDIS; quod competit omnibus, qui quid in tabulis supremis, id est, in testamento vel codicillis adscriptū habent; sive sint heredes, sive legatarii, vel fideicommissarii. Datur adversus eum, penes quem hæ tabulæ sunt, si neget se habere, vel exhibere oportere; aut cuius dolo factum est, ut desierint esse. Datur ad id, ut reus tabulas exhibeat, hoc est, eas apud magistratum apprehendendi potestatem faciat. Pertinet verò hoc interdictum ad omnem omninò scripturam tam perfectam quàm imperfectam, id est, eam etiam, in qua filiusfam, præteritus est,

Q. An

Q. An autem annuum sit, an perpetuum hoc Interdictum, multum controversatur. Nos contra Cuiac. putamus perpetuum esse.

VII.

Quintum Adipiscendæ possessionis Interdictum est, DE GLANDE LEGENDA: propositum Domino, cujus ex agro glans in alienum cecidit, ne vis fiat ei, quò minus eam glandem tertio quoq; die inde auferre liceat, atque rei suæ possessionem nancisci. Glandis autem appellatione fructus omnis continetur.

VIII.

Sextum Adipiscendæ possessionis Interdictum est, SALVIANUM, quod comparatum ad rerum pignoratatum possessionem: Competit autem Domino fundi adversus colonum seu conductorem. Utiliter datur adversus quemvis possessorem, etiam tertium, causam à conductore habentem. Petit verò res pro mercedibus fundi, pignori obligatas.

IX.

His sex Adipiscendæ possessionis Interdictis ex Imperatorum Constitutionibus connumerari possunt, 1. REMEDIUM L. ULT. C. DE EDICTO D. HADRIANI TOLL. quod datur heredi scripto cuicumque; adversus possessores rerum. Datur autem in id, ut mittatur in possessionem earum rerum, quæ testatoris tempore fuerunt, non autem legitimo modo ab alio detinentur.

Q. Num verò beneficium hoc competat etiam ab intestato venienti, itemque legatario? Utrumque cum Menochio contra Dd. negamus, & hoc etiam cum Mynsingero.

X.

2. REMEDIUM L. 3. C. DE PIGNOR. quod competit creditori conventionis sive pacti legem exercenti,

A 3

& poss

& possessionem ingredienti; contra debitorem quemvis etiam resistentem, dum vi non resistat, Competit autem in id, ut liceat, pecuniâ non redditâ, possessionem ex pacto adipisci, vel propria, vel, si velit, iudicis autoritate.

Q. An igitur tale pactum; ut liceat propriâ autoritate ingredi, sit licitum? Affirmam. Sichardum secuti contra Donnellum.

Q. An igitur creditor, ingrediens autoritate propria teneatur L. Julia? Negam, cum eodem adversus eundem.

XI.

3. REMEDIUM EX OFFICIO IUDICIS, quod datur heredi, qui omisso ordine juris, possessionem vacantem adipisci vult, vel sua, vel Prætoris autoritate. Item datur Clericis, qui beneficij sibi collati possessionem consequi volunt,

XII.

Retinendæ possessionis Interdicta sunt octo. Primum est, UTI POSSIDETIS: quod datur ei, qui possidet animo domini, etiam fructuario; sive quis justè possideat, sive injustè; dummodo non vitiosè possideat, id est, nec clam, nec precario ab ipso Domino. Datur adversus eum, qui possessionis facit controversiam, seu qui turbat, etiam si judicialiter turbet, dum tamen re ipsâ turbet, non verbis. Datur hoc interdictum de rebus corporalibus immobilibus.

Q. An saltem utiliter competat de rebus mobilibus, seu incorporalibus, puta servitutibus, jurisdictione, &c. Negam.

Q. An autem victus adversarius satisfacere debeat possessori, se eum in posterum impediturum non esse? Negam.

XIII.

Secundum Retinendæ possessionis Interdictum est, UTRUBI: quod planè coincidit cum interdicto Uti possidetis, nisi quod proditum sit de rebus mobilibus.

XIV.

Tertium Retinendæ possessionis Interdictum est, DE SUPERFI-

PERFI-

PER FICIEBUS; in quo omnia, quæ in Interdicto Uti possideris, servantur: nisi quòd hoc nominatim & specialiter debetur superficiario, id est, ei, qui in alieno superficiem habet, ut certam pensionem præstet. Est autem superficies ædificium per se intellectum, à solo distinctum.

XV.

Quartum Retinendæ possessionis Interdictum est, **DE ITINERE ACTUQ; PRIVATO,** quod competit ei, qui servitute illâ usus est, hoc anno, nec vi, nec clam, nec precariò à domino. Competit autem ad duo, partim ut liceat uti servitute, partim ut liceat rem reficere.

XVI.

Quintum Retinendæ possessionis Interdictum est, **DE AQUA QVOTIDIANA ET ÆSTIVA:** quod ratione originis continet tria capita: Unum, de aqua quotidiana; Secundum, de aqua æstiva; Tertium, de aqua, quæ ducitur ex castello.

XVII.

Sextum Retinendæ possessionis Interdictum est, **DE RIVIS:** quod pertinet ad purgationem & refectionem aquæ ductus, & huic planè deseruit.

XVIII.

Septimum Retinendæ possessionis Interdictum est, **DE FONTE:** quod est de aquæ haustu; & continet similiter duo capita; unum de usu, alterum de loci refectione.

XIX.

Octavum Retinendæ possessionis Interdictum est, **DE CLOACIS:** de quibus sunt interdicta duo: unum de privatis, alterum de publicis. Quod de privatis cloacis est, saltem competit pro refectione, non etiam pro usu.

XX.

Recuperandæ possessionis Interdicta sunt: Primò, **UNDE VI:** quod competit cuicunque possessori, etiam prædoni;

782
doni : non tamen conductori, quoniam nunquam possedit:
adversus eum, qui cuiusvè familia vi expulsiua deiecit; non
tamen contra tertiam personam, quæ fortè habuit causam à
spoliatore, si credimus Lanfranc. Orian. Sunt autem hujus
Interdicti plures species, quas Lanfrancus de Orian. recensu-
it. Inque eo duo singulariter notanda; quod iudex spoliato-
rem condemnare possit in fructibus, etiamsi non sit petitus;
& quod pleræque circumstantiæ sint probandæ.

X X I.

Secundum Recuperandæ possessionis Interdictum est,
QVOD VI AVT CLAM. Vis enim fit possidenti non
solum corpore & manu, sed etiam opere quodam & facto.
Competit autem hoc Interdictum ei, cuius interest opus fa-
ctum non esse: adversus eum, cujus operâ opus clam aut vi
factum est, aut qui factum habet. Agitur autem ad restitu-
endum opus factum, damnumque datum sarcendum. Is ta-
men, qui non fecit, sed saltem possidet, patientiam tantum
præstat.

XXII.

Tertium & ultimum Recuperandæ possessionis Interdi-
ctum est DE PRECARIO: quod competit ei, qui precario
concessit: adversus eum, qui precarium habet, ut res restituatur,
aut fiat condemnatio in interesse.

Q. An autem precarium revocari possit importunè, &
intempestivè, & in continenti? Negam. cum Covarruua non
ignari quod Cujacius & Decius aliter sentiant.

XXIII.

In hunc ordinem referre possimus beneficium c. redin-
tegranda. ca. 3. q. 1. de quo Dd. non inutiliter movent, si con-
tra quemlibet possessorè detur? & an in foro rebusq; laico-
rum obtineat? cum similibus: atque alia plura,

quæ post me alijs agnanda relinquo,

Non nimium parvis confusus viribus: atas

Forsan & hæc sumet sibi grandior, atque theatris

Proponet spectanda olim maioribus, ausum

Tenuia si vestri non deserit aura Favonij.

Wittenberg, Diss., 1587-1612

ULB Halle

3

002 392 011





SB

VD17

Retrokonv.,







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow



Red

Magenta

White

3/Color

Black



1604

ERDI

TIONIBUS

ompetentibus;

rante gratiâ,

ultissimo Viro,
HELMO FORSTERI
uridicæ Facultatis

idemiâ exercitij gratia,
endam suscipiet ad
ar.

Starck Dresd. Misn.

R G AE
us Seuberlich,
CIV.

12

5